





1766, 21.  
Nr. 54.

SPECIMEN  
CONTINENS  
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
DE  
OPPIGNORATIONE  
SERVITVTVM  
Q V O D  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XVII. SEPTEMBR. ANNO CICICCLXVI.  
DEFENDET  
CAROLVS GOTTLLOB MENNELIVS  
IOANNGEORGIOPOLITAN.

---

LIPSIAE  
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.

SCHEICIMEN  
CAPUT IAVIS CONTROVERSAV  
OPPIGNORATIONE  
SERVATUTAM  
TRADIDIT  
D. CHRISTIANO HIER. BREUNING  
IN ADIATORIO PETRINO  
CAROLAS GOTTOLO MENNELIAS  
LIPSIAR  
CITTATIS VIDUAE LANGENHAGEN



D E

# OPPIGNORATIONE SERVITUTVM.

---

 Ius in re aliena competens, quo, vel ad patiendum aliquid, vel ad non faciendum obligata erat, non sine subtilitate definiebant veteres *Seruitutem*. Negabant vero hac ipsa definitione, seruitutes ad faciendum aliquid, seu ut clarius loquitur POMPONIUS in L. 15. π. de *Seruit*. *Seruitutum non ea natura est*, ut aliquid faciat quis, (veluti viridia tol-

lat, aut amoeniorem prospectum praestet, aut in hoc, ut in suo  
 pingat) sed ut aliquid patiatur, aut non faciat. Neque improba  
 est haec philosophia, cuius hanc rationem dant, res scilicet fa-  
 cere non posse, sed vel pati, vel non facere. Conspirat huius  
 argumenti vis cum ea opinione, quam Aquilius Gallus  
 defendebat in specie illa de refectione parietis seruientis,  
 an seruiens, an dominans reficere teneretur. Cum enim  
**VLPIANVS** in L. 6 π. Si seruit. vindic. confessoriae actionis  
 applicationem ad seruitutem ferundi oneris dedisset,  
 videlicet ut et onera ferat, et aedificia reficiat ad eum mo-  
 dum, qui seruitute imposita comprehensus est, ipsam refert  
 controversiam de illa refectione motam. Refert enim  
**GALLVM** in ea opinione fuisse, quod non potuerit ita  
 imponi seruitus, ut quis facere aliquid cogeretur, sed ne  
 me facere prohiberet. Dissidentem adducit **SERVIVM**,  
 cuius sententiam equaluisse affirmat, ut possit quis defendere,  
 ins sibi esse cogere aduersarium reficere parietem ad onera  
 sua sustinenda. Non fuit ea Seruui sententia, ut in  
 omni seruitute oneris ferundi refectionem imponat ser-  
 uenti, sed quod tantum possit defendere quis videlicet  
 in certo themate, quale forsan **PAVLVS** exhibet in L. 33.  
 π. de Servit. Praed. urban. sibi competere cogere aduersa-

rium

rium ad reficiendum, si scilicet in Lege aedium scriptum esset, *Paries oneri ferundo, uti nunc est, ita perpetuo sit.* Et videtur lex aedium nihil aliud, quam conditio conventione determinata aedibus praescripta, seu breuius patrum conuentum, quo illa refectione promissa aedibusque adscripta. At vero LABEO addit, *hanc seruitutem non hominem debere, sed rem,* hinc domino licere, rem scilicet parietem derelinquere, ut ergo refectione illa onus reale sit, quod conventione scilicet seruituti impositum, et ita ipsam rem afficiat.

### §. II.

Sicuti vero seruitus ius erat in re aliena, ita bene et sapienter negabant Romani, seruitutes in faciendo ob eam causam, ne seruitutem iuris gentium, quae homines ipsos afficiebat, et quorum erat facere, i. e. servire, confunderent cum seruitute iuris ciuilis, quae res afficiebat. Et vtique paradoxon fuisset, ciuem esse, et ex seruitute seu vt seruum facere. Semper ergo obiectum seruiens res esse debebat, contra vero dominans, seu is qui in re aliena sibi ius esse afferere poterat, vel ciuis esse debebat, vel itidem praedium. Hinc alias *personales*, alias *reales* seu *praediales* seruitutes dicebant.

A 3

§. III.

\* \* \* \* \*

§. 10. III.

Primum ergo dicamus de personalibus seruitutibus, quarum quatuor species, quae nunquam reales fieri possunt, libri Iuris ciuilis exhibent, videlicet usumfructum, usum, habitationem et operas seruorum, quippe et Romana Iura seruos inter res habent. Harum vero seruitutum ea natura est, ut ossibus dominantis quasi inhaerant, nec in heredes transeant, imo nec extraneo cedi possint, et si cedantur, nihil agatur respectu tertii estranei, qui nullum ius consequitur, et dominans cedens suo cadat iure. Cum ergo ius seruitutis in alium praeterquam ipsum proprietarium transferri nequeat, facile patet, ipsum ius ususfructus pignoris obiectum non esse, ex autoritate GAI in L. 9. §. 1. π. de pign. et hypoth. qui ait: *Quod emtionem venditionemque recipit, etiam pignorationem recipere potest.* ut ex vi contrariorum argumentum desumatur.

\* \* \* \* \*

§. 11. IV.

Sed quid faciamus MARCIANO in L. 11. §. 2. π. de pign. et hypoth. scribenti: *Ususfructus an possit pignori hypothecaeui dari, quae situm est, siue dominus proprietatis conuenerit, siue ille, qui solum usumfructum habet.* et scri-

bit

bit Papinianus, libro undecimo responsorum, tuendum creditorem, et si velit cum creditore proprietarius agere, NON ESSE EI IUS VTI FRVI INVITO SE: tali exceptione cum praetor tuebitur, SI NON INTER CREDITOREM ET EVM, AD QVEM VSUSFRVCTVS PERTINET, CONVENERIT, VT VSUSFRVCTVS PIGNORI SIT. Nam et cum emtorem ususfructus tuetur, praetor, cur non et creditorem tuebitur? eadem ratione et debitori obicietur exceptio. Facile patet, hic non de iure ipso ususfructus sermonem esse posse, quod exemplum a venditione ad pignorationem dictum est, magis ergo agit ICTus de ipsa ususfructus perceptione, quae fructuum perceptio utique per alium fieri, et sic in alium transferri. Seu quod magis est ususfructus loco pignoris qua si cum Antichresi constitui possit. Quamuis itaque non possit ipsum seruitutis ius oppignorari, tamen perceptio seruitutis personalis utique in pignus concedi potest. Adde Gerb. NOOTIVM in Tr. de Usufructu Lib. I. cap. 3.

~~ut ususfructus loco pignoris~~ §. V.  
An vero reales Seruitutes oppignorari queant, iam videndum. Si legum ipsarum verba inspicimus, distinguere videntur ICTLi veteres, inter seruitutes ruficas, et

verba-

\* \* \* \*

urbanas, vel adeo dissentire. Nam negat expresse MARCIANVS in L. u. §. f. π. de pign. et hypoth. Vrbanas seruitutes oppignorari posse his verbis: *Iura praediorum urbanorum pignori dari non possunt; igitur nec conuenire possunt, ut hypothecae sint.* At vero PAVLVS in L. ii. π. eod. de seruitutibus rusticis affirmat ex Pomponii autoritate, easdem oppignorari posse. Sic ait: *Sed an viae, itineris, actus, aquaeductus pignoris conuentio locum habeat, videndum esse Pomponius ait: ut talis pacilio fiat, (vt), quamdui pecunia soluta non sit, eis seruituribus creditor utatur: scilicet si vicinum fundum habeat: et si intra diem certum pecunia soluta non sit, vendere eas ulro vicino liceat; quae sententia propter utilitatem contrahentium admittenda est.* Ergone vel ad dissensus referamus, vel ad veram distinctionem, et quae tunc differentis iuris sit ratio?

### §. VI.

Non omnino improbablo sententiam Gerb. NOODTII in Comment. ad Pandect. L. XX. Tit. I. has leges seu ICTORUM sententias diuersas conciliantis. Putat videntur esse, virum quaeratur de noua seruitute a praedii domino pignori constituenta; an de vetere obliganda ab eo cuius

cuius praedio iam sit acquisita: posterius thema censet ob oculos habuisse Marcianum, nulla interim seruanda distinctione, an urbana, an rustica sit, qui negaret seruitutes veteres iam constitutas pignori dari posse, ex causa, quod seruitus esset qualitas praedii, ipsi praedio inhaerens, extra hoc nulla. Quare et dominus praedii seruientis negotoria experiri posset, ei non esse ius, ea seruitute ut se inuito a quo constituta ei non sit. Contra in ea est sententia, Paulum ex Pomponio de ea specie differere, qua dominus fundi vicini praedii domino, a quo mutuam pecuniam acceperat, constituit pignoris loco seruitutem hac lege, ut ea vtatur, donec soluta pecunia; et si non soluatur intra certum tempus, ei seruitutem vendere liceat. Videtur ergo Paulus Pomponium secutus, afferere, valere hanc conuentionem de seruitute pignori constituenda, non quidem ex iuris subtilitate, sed propter utilitatem contrahentium.

### §. VII.

Quamquam non dissentiam a Noodtio, tamen adeo difficultas, quam non obseruauit ipse Bataeus ICtus. Si

IIIIV

B

B

enim

\* \* \* \*

enim Compilationis ordinem capitum veterum ICtorum intuemur, patet, Marcianum tantum de urbanis, Paulum tantum de rusticis differere. Marciani verba clarissima; nec opus fuisset, si de eo themate disputasset, de quo Noodii est sententia, ut addidisset *Praediorum urbanorum*. Dein compilatores in excerptendo capite Pauli ~~et~~ sed, quae particula disiungendi vim habere videtur, posuere, ut probabile videatur, rusticorum praediorum iura per exceptionem potuisse oppignorari, non acque urbanorum h. e. de iure subtiliori omnium seruitutum realium iniuriam fuisse oppignorationem ex ea causa, quam habet DVARENVS in *Disputat. annivers. Lib. I. cap. 13.* quod praedio deberentur, non personae, nec a praedio separari possent, at si in rusticis praediis forsitan seruitus oppignoretur, stricto quidem iure nec pignus valebat, at si vicinum possideret praedium in utilitatem contrahientium quasi illi vicino praedio oppignorata videbatur. Esse posset ratio in hoc posita, quod seruitutes urbanae ad commoditatem datae, rusticae contra ad utilitatem et necessitatem rei rusticae tenderent.

§. VIII.

¶ I. in etiis quibus ois §. VIII.

Hinc in ea sum opinione, rectam quidem esse  
Noodtii distinctionem in his quaestzionibus, utrum iam con-  
stituta seruitus oppignoretur, quod ob praediorum iura  
non valebat, an vero seruitus pignoris nomine constitue-  
retur in securitatem crediti, idque forsitan recte negat  
*Marcianus* de seruitutibus urbanis, ob id, quod magis  
ad commoditatem respiciebant, concedit vero *Paulus*,  
quod rusticae seruitutes rusticam vel necessitatem vel vti-  
litatem praestabant, sive ex aequitate oppignorari, seu  
per pignus constitui possent, dummodo vicinum pre-  
diuum creditor possideret.

§. IX.

Tandem, cum hactenus disputatum sit, an serui-  
tus sola oppignorari possit, iam videndum, an, oppigno-  
rato fundo dominante, simul oppignorata censeatur ipsa  
seruitus fundo competens. Arbitror recte oppignoratam  
simul videri. Sicut enim, vendito fundo, ipsa seruitus  
fundum sequitur, teste *PAVL*o, in *L.* 12. π. *Commun. praed.*



*tam urban. quam rustic ex GAI I vero auctoritate in L. 9.*

§. I. π. de pign. et hypoth. ab obiecto venditionis ad obiectum oppignorationis concludi potest, seruitutes autem cum fundo recte venduntur, recte ex eo inferri potest, ipsam seruitutem cum fundo oppignorari posse.

## T A N T V M M



Leipzig, Diss. 1766 A 6



TA-OC



B.I.G.

Farbkarte #13



1766, 21.  
No. 54.

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M  
D E  
O P P I G N O R A T I O N E  
S E R V I T V T V M

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

E T S O C I E T AT. L I T E R. D V I S B V R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E X V I I . S E P T E M B R. A N N O C I C I C C L X V I .

D E F E N D E T

C A R O L V S G O T T L O B M E N N E L I V S

I O A N N G E O R G I O P O L I T A N .

---

L I P S I A E

L I T T E R I S V I D V A E L A N G E N H E M I A E .

